

**Specimen inaugurale chimico medicum de mercurii usu et abusu ... /  
[Johann Georg Rauch].**

**Contributors**

Rauch, Johann Georg.  
Philipps-Universität Marburg

**Publication/Creation**

Marburgi Cattorum : Typis Philippi Casimiri Mülleri, [1727]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kxp224fn>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

SPECIMEN INAUGURALE CHIMICO-MEDICVM  
DE

MERCVRII VSV  
ET ABVSU,

QVOD

DIVINA ASSISTENTE GRATIA  
IN ILLVSTRI MARBURGENSIUM  
VNIVERSITATE

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMÆ ET GRATIOSÆ

FACULTATIS MEDICÆ

Pro GRADV DOCTORATVS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS,  
PRIVILEGIIS ET INSIGNIBVS RITE OBTINENDIS

PUBLICÆ MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

SENATVS ACADEMICI  
DISQVISITIONI

IN AUDITORIO MAIORI HORIS CONSVETIS

AD DIEM VII. AVGVST. ANN. MDCCXXVII.

SUBMITTIT

JOHANNES GEORGIUS RAVCH,  
WISBADIO-NASSOICVS.

---

MARBURGI CATTORVM,

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr.



Q. D. D. V.  
SPECIMEN INATERNALIS CHIMICO-MEDICINAE  
DE

MERCURII VSV  
ET ABVS.

OPUS  
DIVINA ASSISTENTE GRATIA  
IN ILUSTRI MARBURGENSIVM  
VNIUERSITATE

CONSENSU ET AUCTORITATE  
PATENTISSIMO ET GRATISSIMO  
FACULTATIS MEDICAE  
P. GRADU DOCTORA V. N.

STIMULOS IN MEDICINA HONORIBUS  
PRAEPOSITUS ET INVENTUS EST OSTENSUM  
PUBLICE MAGNIFICENTIA AMPLISSIMA  
SENATUS ACADEMICI

DISPOSITIONE  
IN AULICO MAGNIFICENTIA HONORIBUS  
AD DIEM VII. AUGUSTI ANNI MDCCXXVII.  
ELABORATUM  
IOHANNES GEORGIVS RAVACH

WILHELMO-NASSOVIAE  
MARBURGO CYCLOPS  
Typis PUBLIS CASIMIRI MELLERII, MDCCXXVII.





## PROOEMIUM.

**D**E MERCURIO & ex MERCURIO paratis  
 medicamentis, ut de quibusvis ferè  
 generosis aliis, non unum omnium.  
 & ferè minus æquum est plerorum-  
 que judicium. Sunt, qui mercu-  
 rium planè è materia medica proscri-  
 bunt, & pro remedio maximè noci-  
 vo, imò noxiosissimo Toxico, minerali stygio, totà na-  
 turâ deleterio habent & declarant; vel ad minimum  
 mercurii, ut ancipitis periculi Prothei pravam disposi-  
 tionem corpori facilè imprimentis, usum potius dissua-  
 dere, quàm commendare malunt: & vix, nisi ten-  
 tatis prius, ut ajunt, reliquis mitioribus medicamen-  
 tis, illum adhibere audent, adeoque nimis cautè, vel  
 ut rectius dicam, nimis timidè, dum hujus naturam,



correctionem & usum non satis cognitum habent, incedunt. Sunt contra alii, prioribus planè contrariantes, qui ad alterum quasi extremum temerè nimis prolabuntur, & absque ulla ratione, consideratione, absque præparatione quoque debita, atque adeo relicta cruditate evidentiori, quin immo aucta per ineptam præparationem vi drastica, in quibuscunque ferè morbis chronicis & desperatis, Mercurialia ad instar panis devoranda tectè commendantes, Dei & Proximi obliti, non rarò ad certissimum præcipitium viam sternunt & pandunt; Ast sciant hi, quod semper & ubique medium tenuerint Beati, quodque in Medicina nihil nisi tutum sit jucundum & commendabile. Cujus intuitu inductus, operæ pretium fore existimavi, si Speciminis Inauguralis locò, Numinis Altissimi fretus auxiliò, Mercurii principia constitutiva, quantum assequi licet, & ex hisce dependentem usum & abulum medicum, paucis impræsentiarum, donec in futurum in quibusdam experientia magis edoctus & confirmatus fuero, pervestigarem. Faxit Deus O. M., ut hi conatus in sui Nominis Gloriam, & aegrotorum salutem cedant. Tu interea Benevole Lector! ut hæcce conamina æquo animo excipias, exopto atque rogo.





Uò autem omnem cespitandi occasio-  
nem avertamus, in ipso statim limine  
distinctas varii MERCURII significationes,  
quemque nos intelligamus, & quid  
denique per ejusdem VSUM & ABVSV  
accipi debeat, commemorabimus &  
explicabimus: Venit autem nobis no-  
tio mercurii sub quadruplici differentia, utpote 1) *mo)*  
*Philosophorum*, qui adeptis est decantata illa materia pro  
Lapide Philosophorum 2) *Chimicorum*, qui ad principia  
illa chimica, sal, sulphur & mercurius, ab analogia  
minerali metaphoricè ita nominata, referendus 3) *corpo-*  
*rum*, vel *metallicus*, &, ut quidam volunt, resuscita-  
tus, qui verò artificiale est productum, & pondus ad  
differentiam sequentis in eodem continente obtinet ma-  
jus, 4) *Vulgi*, seu *communis*, qui satis notus est *Liquor*  
*ille metallicus colore & splendore argentum referens, in-*  
*signique gaudens fluiditate & ponderositate*, de quo hîc  
nobis propriè est sermo; Reperitur autem sub forma  
duplici, vel enim natus, in mineris actû fluens & vi-  
vus occurrit, unde *virgineus* appellatur, vel ex mineris  
mercurialibus, ut plurimum *cinnabarinis*, per additamenta  
alcalina & cætera subjecta, superfluam sulphuream sub-  
stantiam imbibentia, vel *petrosi*, per se destillando eli-  
citur. Usus denique titulum declaraturi cum vulgari il-  
lius acceptione consentimus, atque ita illum pro legiti-  
ma, non temeraria & confusa, sed prudenti, & hinc ex-  
oriens tuta rei aptæ ad bonum finem consequendum ap-  
plicatione habemus & designamus; ABVSVS verò nobis  
id est, quod è diametro priori contrariatur, adeoque il-



legitima, imprudens, pernicioſa, vel ad minimum anticipis periculi ſuſpecta applicatio rei, aut ſuâ naturâ, aut ejus perverso uſu, ad finem bonum conſequendum ineptæ. Utriusque & recti atque ſalutaris *uſus*, & *abusus*, indeque conſequentium graviffimorum vitæ atque ſanitatſis damnorum, quantum pro inſtituti noſtri ratione, & diſſertationis Academicæ modulo fieri poteſt, dabimus deſcriptionem atque animadverſionem.

ſ. II.

Convertimus itaque nos ad *mercurii geneſin* explorandam & definitione breviffimis tradendam, quæ verò undique ſpinolis difficultatibus cincta apparet, dum Phyſici æque ac maxima ex parte Chimici ſeſe vix explicantes, & modò generalem circa accidentales mercurii (quas vel per ſe poſſidet, vel per accidens ignis nempe ope refert) qualitates & affectiones ſoliciti ejusdem hſtoricam tradunt deſcriptionem, e. g. eſſe *ſubſtantiam metallicam fluidam & volatilem* in igne, unde principium evaporabile, & ſervus fugitivus chimicis audiat: *fluidam albam fulgentem*, & hinc ratione coloris argenteam, cujus reſpectu Græcis υδράργυρον, hydrargyrum, ſeu argentum vivum appelleretur: *fluidam ponderoſam*, proptereaque aquam metallicam, liquorem mineralem, vel ſuccum & humorem metallicum dici: *mobilem*, unde mercurius vivus nuncupetur: *ſubtilem, mutabilem & inconstantem*, varias formas, diverſosque imò omnes colores vulcani beneficiò induentem, ideoque prothei vivi, vel mercurii verſatilis & πολυτρόπος nomine venire. Cæteroquin ex parte quoque chimici ſpecialem eſſentiæ *mercurii* definitionem exhibituri ſatis obſcuri videntur, qui formam mercurio propriam eſſentialem, aſt ignotam & non nominatam



tam perhibent. Quibus & pari censu accensendi merito sunt ii, qui genesis mercurii ex aqua deducunt, & cum HELMONTIO mercurium, ut aquæ filium, nihil aliud, quam humidum, viscosumque aëris & aquæ leviter coctum & digestum, ac spiritibus mercurii Planetæ imprægnatum corpus esse contendunt. Cum vero BECCHERVS de physico-chimicorum experimentorum soliditate suo tempore maxime sollicitus multo convenientiorem præ aliis fo-  
veat opinionem, dum mercurium pro decomposito metallico-minerali æstimat, ita & plausibiliorem ex illius traditis experimentis desumptam sententiam mutuabimur, adeoque sequentem de *mercurio communi* trademus definitionem: quod nempe sit *metallum potius imperfectum, quàm perfectum, tenerrima & intima mixtione cum terra salis communis fluidificante in substantiam fluidam, mobilem & volatilem redactum.*

§. III.

Quo autem hæcce nostra mercurii quoad principia sua constitutiva Definitio non nudis innixa videatur speculationibus, quam brevissime, quantum fieri potest & assequi licet, illam Chimicorum quorundam solertiorum experimentis confirmabimus, & ex effectu mercurialium postmodum illustrabimus; *Substantiam* igitur *metallicam mercurii* quod attinet, eam probat ponderositas, color, nec non juxta quosdam facilior in sphæras mutatio & formatio: *Terram* vero illam *fluidificantem & mercurificantem* ita dictam in sale communi reperiendam probant istius antea citati BECCHERI experimenta de corporum metallicorum mercurificatione, in quibus sal commune ceu medium ex metallis mercurium conficiendi commendatur, & hinc in *Physica sua subterranea* Sect. VI. cap. VIII. §. IX.



pag. 540. inquit: *se errore didicisse mercurios facere, & in sale arsenificantem & mercurificantem terram, id est Alkaest à mercurio Philosophorum distinguere, item in minera arenaria pag. 898. & 915. ait: Certe scio, quod mercurius ex sale communi augmentetur, & sæpe augmentatus in diaphanam aqueitatem tendat, de qua porro alibi dicit, quod in currentem formam nunquam reducatur, nisi addito metallo puro, quod materialiter accrescendo cum liquore hoc humido denuo liquorem siccum constituat, sic & porro in sua metallurgia ad artificialem mercurii corporum productionem requirit sal commune, quorsum & conferatur anonymi Illius multa laude dignus Tractatus, Catena Aurea Homeri dictus pag. 75. Hæcce igitur nobis orthodoxa videntur, & tamdiu manebunt, donec melioribus, nempe juxta methodum mercurii analyticam (quod vero non facile est speratu) procedentibus convincamur, idque imprimis, quod mercurii effectus hisce dictis principiis constituentibus insigniter respondeat, unde & e.g. talem materiam fluidificantem ex salina prosapia petendam confirmare videtur facilis & penetrans mercurii in metalla, imprimis puriora, invasio, nec non insignis ejusdem efficacia resolutoria lymphæ lentæ, viscidæ, inquinatæ & coagulatæ in oeconomia vitali, de qua ultima præcipue in succedentibus paulò prolixius agemus.*

§. IV.

Præmissis hisce positis faciliorem sortiemur clavem ad mercurii effectus generales in corpore humano perlustrandos & inquirendos, atque ita juxta nostram in §. II. traditam definitionem primo occurrit metallum, ad & per intima substantialiter solutum, a quo, ecu principio mer-

curii



curii constitutivo, cum altero, nempe principio mercuriali, κατ' ἐξοχήν ita dicto, coagmentato & exacte unito, præstantiorem, efficaciorē & fortiorē mercurii effectum deducimus, ut inde intimas ad partes corporis humani penetret, adeoque noxiam illis inhærentem materiam, mediante dicto principio mercurificante, aggrediatur & expellat: & ita quoad alterum principium, *mercurium* nostrum constituens, nempe terram salis communis mercurificantem dicimus, quod in hac essentia & proprietate effectus medicus mercurialium specificus sit querendus & ponendus, propter quam & salina media, imprimis subtiliora & terra crassiore calcaria destituta mucaginē viscidam, tenacem, spissam & lentescētem, mediante vehiculo aquoso, reserant, attenuant, & veluti fundunt, atque ita subtili sua & penetrante virtute humores reddunt fluxiles; qui deinde una cum immixtis recrementis diversæ indolis exitum inveniunt per ordinaria naturæ secernicula, sive per catharsin, sive emesin, sive per salivationem, interdum etiam per sudorem vel urinam, aut quorsum natura vergit & diversâ usurpandi methodo ejusdem mercurialis medicamenti a Medico experto ducitur.

§. V.

Recensitâ generali *mercurii* energia ulterius progredimur & ad *specialiora* hisce principiis insistentes accedimus; &, quoniam fundamento constituto, tantò facilior aditus ad reliqua, brevitatis causa tantum nonnulla specimina trademus *usus & abusus* mercurialium: & quidem primo loco *mercurii vivi*, prout aut internè aut externè usurpari solet. *Interne mercurii vivi usus* in intestinorum affectibus quibusdam tutus deprædicatur, copiosius nempe ingestus à ℥ij ad ℥ss vel ultra in affectu  
iliaco



iliaco desperato *miserere* appellato; attamen non in omni ejus specie locum habet, sed præcipuum & non contemnendum habet usum. propter mobilem & fluidam gravitatem, in convolvulo in specie ita dicto, à causa sua proxima aut mutuo intestinorum ingressu à prægressis nimis & inordinatis, præcipuè autem convulsivis motibus exorto; porro in passione iliaca à scybalis induratis & quasi torrefactis ortum ducente, si nihil obstat, suam pariter præstat operam: illa disjungendo, resolvendo & serosam humiditatem hûc apprimè quadrantem accersendo, ut copiosa demum excrementorum attenuatorum fiat evacuatio & expurgatio; si verò tale malum ortum duxerit ab intestini ilei inflammatione, tunc *abusui* potius talis *mercurii* adhibitio accensenda, ut & si pro scopo generali laxante mercurius vivus ineptè & planè inconvenienter internè commendetur.

§. VI.

Usum porro anthelminticum *mercurii vivi* & crudi nullus expertus facilè negaverit: in quem finem commendatur vulgò mercurii vivi p. j. cum sacchari p. ij. vel iij. ad intimam usque mixtionem & hinc productam pulveris cinereo-albi consistentiam in mortario lapideo contriti; cui tamen crudiori & crassiori præparationi meritò & præcipuè in subjectis tenerioribus & debilioribus, anteferimus illam mercurii vivi aquam, ita dictam hermeticam, cui mercurii character medicinalis tam potens & activus ob principium illud salinum subtile, quod in mercurio est, imprimitur, ut nullâ ponderis mercurii immixtione, vel notabili ad sensum extractione aqua hæc omnis odoris & saporis peregrini experta, justis & reiteratis dosibus hausta insigne præbeat remedium anthelmin-



thelminthicum. E contra verò *mercurius vivus*, sive per se, sive ex mercurio dulci, vel ipsa cinnabari cum aliis odoriferis pinguibus accensa, reviviscens, periculose satis inspiratur, vel admittitur intra fauces per tubulum: resolutus enim in vaporem maximè nocivus nervis & nervosis membranis deprehenditur, quod ipsum satis superque testantur, qui mercuriò suas operationes instituunt, aurifabri, speculatii, & alii, qui ut plurimum, imprimis si fuerint temperamenti siccioris & strictioris, cum incautè vaporem *mercurii* inspirant, spasticis stricturis, dolorificis hinc inde cruciatibus, tremore artuum &c. affliguntur, imò & non raro asthma sicco, complicatâ raucedine laborare observantur. Quapropter suffitum *mercurialem* à quibusdam commendatum, in praxi hodierna selectiori nullum habere locum, sed potius, inter abusus numerandum judicamus.

§. VII.

*Externus* mercurii vivi usus præ interno usitator & familiarior reperitur, & sub variis modis, in diversum vero quoque finem [in quem & vel copiosius, ut in morbis venereis, vel parcius reliquis admiscetur] adhiberi solet, quippe scopo salivandi vel sub forma *unguenti*, & hujus vel officinalis, vel ex tempore parabilis, vel *cinguli*, hujus iterum vel coriarii, vel lintei massa illa cinguli *Rulandini* famosa, vel unguento alio adimpleti, vel denique *emplastri*, applicatur, quo pertinet admodum celebre istud empl. de ranis *VIGONIS* cum mercurii dupla vel tripla portione; ast ex tribus hisce modis uti unguenta mercurialia pro salivatione excitanda (quæ assidua unguenti semel vel bis mane & vesperi de die partibus magis exsanguibus, nempe juncturis & flexuris articulorum, brachiorum æ-



que ac tiliarum, periculose vero spinali medullæ, ut & juxta nonnullos periculosius capiti derafo, ceu pituitæ juxta HIPPOCRATEM metropoli, afflictione in conclavi calido acceleranda & promovenda est, & dehinc tertio vel quarto plerumque die expectanda) sunt usitatissima, ita & præ illis convenientissima judicamus, eo quod cingula æque ac emplastra segnius agant, & tardior, vel nulla penitus, præcipue emplastra gummatosa sequatur salivatio, unde recte WEDELIVS in *Amoenitatibus materiæ med.* Libr. II. S. II. C. XVI. p. 468. innuit, quod *emplastris mercurialibus æque ac Zona pro salivatione excitanda, non nisi secundario vel in subsidium usus sit.*

§. VIII.

Transgredimur nunc ab hoc generali & universaliori ad *particularem & specialiore* magis *mercurii vivi usum externum*, qui sub variis quoque formis applicatus eximia & protus singulari pollet facultate, dissipandi, resolvendi & discutiendi in diversis doloribus, affectibus arthriticis, tumoribus & stasibus lymphæ, maxime autem hisce venereæ indolis existentibus. Quem in finem laudatissimo veniunt usu emplastra officinalia e.g. Empl. de ran. cum merc. *Vigonis, Zwelff. Pharm. Hag* &c. ut & cum distinctione & pro re rata, non omissis internis convenientibus, empl. oxycroc. diaph. Myns. diach. cum vel sine gumm. de ammon. de melil. santalin. &c. mercurio imprægnata: Sic unguenta mercurialia in scabie humida & venerea eventu salutari inunguntur tarsis & carpis, ita & emplastra laudabilis existunt efficaciam ad dolores ex lue gallica subortos sedandos, in bubonibus venereis dolorificis discutiendis & sopiendis, in nodis gallicis, strumis & parotidibus resolvendis & discutiendis; pari effectu & fi-  
ne




ne præcedentibus non dispari se gerit mercurius cum tereb. oleo laur. vel aliis extinctus, vel cum empl. de ammon. saponat. *Barbette* remixtus; Sic quoque ad ambitus callosos in ulceribus, ut & speciatim ani fistula &c. resolvendos cum emollientibus conjunctus apprime convenit, nec non porro laminæ plumbeæ illitus mercurius ganglia optime discutit. Interea in tumoribus & stasibus sanguineis mercurius externe applicatus ceu inconveniens abusui est adscribendus.

§. IX.

Ex hæcenus dictis mercurialium efficacia quanquam satis liqueat, nihilominus tamen & nonnulla de *præparatis usitatoribus*, pro circumstantiarum varietate præcru-  
dioribus merito commendandis & adhibendis, referemus, inter quæ commodè prius *sublimata* pertractabimus: occurrit itaque primo *mercurius sublimatus communis*, intense corrosivus, propter intimum cum spirituosâ concentratissimâ salino-acidorum portione connubium, ut venenum in regno minerali arsenico secundum exhibeat, unde & intra corpus vivum delatus præsentissimo non caret periculo, quin indubitato vel *θανάσιμον* & funestum pariat eventum, vel ad minimum arthriticos, contractorios & spasmodicos post se relinquit schematismos, ni qualitates ejus nocivæ imminentes potenter invertantur, vel tempestive avertantur. *Usus* vero ejusdem in chirurgicis non penitus rejiciendus est: nam, ut nunc taceamus septicum & mundificantem illius usum in ulceribus inveteratis, sordidis, venereis & fere incurabilibus, tantum præcipua quædam & magnarum virium remedia hîc producemus, quibus parandis mercurius sublimatus inservit; Si enim hic cum mercurio vivo exacte commixtus igne





gradatim, & circa finem non ita intensè aucto, aliquoties sublimatur, exsurgit inde *aquila* seu *draco mitigatus* quibusdam, communiter verò *mercurius dulcis*, sed comparativè ita dictus, quia mediante mercurii vivi principio constitutivo sæpius dicto mercurificante ad alcalinam naturam magis accedente, unde & mercurius Rex alcalium haud paucis audit, salia mercurii sublimati corrosiva acida absorbentur, invertuntur & omni acredine corrosiva exuuntur, ut demum post legitimam præparationem nulla acrimonia, nulla acerbitas vel adstrictio, quod inter alia præcipuus est mercurii dulcis benè præparati character, gustu percipiatur.

§. X.

*Usum* hujus mercurii sublimati dulcis si consideremus, sanè fatendum, quòd non solum mirum in modum & multò potentius, quàm mercurius crudus, coagula quæcunque lymphalia dissolvat, & mucosas lentasque visciditates evacuet, sed & si rite præparatus sit, omnibus ferè præcipitatis, præcipuè communibus cum corrosivis factis, ob tutam omnino & benignam operationem, palmam præripiat: *primarius* autem usus ejusdem, uti aliàs omnium mercurialium, ob energiam præpotentem, & malignitatis venereæ, ossibus etiam infixæ, resolutoriam, quasi specificus in lue venerea, & in variis mali moris corruptelis à tali inquinamento venereo inductis, præcipuè fixioribus, gonorrhœa virulenta inveterata, nodis gallicis, bubonibus venereis &c. non satis de prædicandus, scopo tam salivatorio, si in refractiori dosi continuetur, quàm purgante: *secundariò* verò & quasi per indirectum in aliis affectibus inveteratis & renitentioribus, ut & reliquis acutioribus quandoque, in quibus  
stases




stases lymphæ viscidæ, mucosæ & corruptæ sunt resol-  
vendæ, attenuandæ & colliquandæ, *mercurius dulcis*  
pharmacis aliis purgantibus & alterantibus necessariis im-  
mixtus substantiæ suæ proprietate inservit ad serum mucu-  
dum κατω educendum, in scabie humida, ascite, colica  
flatulenta, febre catarrhali minus æstuosa, nec non ter-  
tiana; in raucedine pro affluxus humorum derivatione,  
in adultorum variolis præservandis, vel illorum materia  
activa subtili commota aliquatenus in principio subtrahen-  
da, in vermibus necandis & profligandis, imò & in sca-  
bie retropulsa, nec non in infantum morbis lymphali-  
bus, mucosisque corruptionibus & stasibus, satis securè,  
modò pro ratione ætatis & idiosyncrasiæ dosis observetur,  
cum insigni efficacia adhibetur.

§. XI.

Facimus nunc progressum ad alias famosas mer-  
curii præparationes, nempe *calcinata* & *præcipitata*, quæ  
præcipuè permultorum subiere tentamina, dum chimici  
mercurium, vel spirituum corrosivorum acidorum, vel  
metallorum puriorum, ut solis & lunæ, aggregativâ con-  
nexionem, vel denique, per se, mediante igne è volatilita-  
te sua penitus derurbare, & in soliditatem & duritiem  
metallicam perfectam argenteam vel solarem, vel ad me-  
dicinam fixiorem redigere collaborarunt illius spe maximè  
frustrati, dum mediantibus spiritibus corrosivis, nil nisi  
pulverem siccum, & pro ratione processus, laborisque  
varietate, diversicolores præcipitados, utpote *album*, *fla-  
vum*, *subviridem*, *incarnatum* & *rubrum* impetrarunt,  
& quoniam illam bonitatem & naturam *mercurii dulcis*  
ritè præparati non accedunt (excepto illo arcano coralla-  
to CROLLII, nec non præcipitato albo, ex mercurii cum





spiritu nitri solutione, & aquæ falsæ præcipitatione parato) imprimis verò communia illa præcipitata per acidum vitrioli, ut & sulphuris, in pulverisabilem formam redacta, & vomitivo-catharticos effectus nimis vehementes, imo nonnunquam anxios, præcipuè cum immodestia adhibita in subjectis sensibilibus, non absque instanti periculo, cum torminibus ingentibus & ardoribus inflammatoriis, maculas rubicundas, post obitum sectione apparentes, in primis viis hinc inde spargentibus, stipatos, in agendo profectò haud aliter, quàm mercurius sublimatus corrosivus vulgaris à mercurio vivo semisaturatus, ob corrosivam, subtilem, impactam & concentratam acrimoniam, sepsinque potenter causticam plurimos ad orcum præcipitant, vel ad minimum etiam in pauca admodum dosi propinata stricturem glandularum enormem causantur, & hinc evacuationem, vel per emesin, vel per catharsin, vel denique ptyalismum, copiosam & impetuosam edere solent, potius exulent, quàm cum magnis encomiis à nobis trahantur in usum medicum. *Externe* verò effectum exhibent septicum, & cum erosione subtili fortiter colliquantem & abstergentem, unde tum aliis, tum imprimis venereis ulcerationibus modicè usurpata apprimè quadrant.

## §. XII.

Si vero mediante auro *mercurius*, quoad qualitates suas excessivè activas, à principio isto salis mercurificante dependentes, aliquatenus infringatur, tunc audit *præcipitatus metallicus solaris*, quò pertinent *aurum vitæ* HARTMANNI & *Hercules* BOVII Medici in Italia antehac celebrimi &c. Verùm facilis est judicatio, quod tali modo præparatus *mercurius*, tam ex auri additione accumulatus, quam



quam illo ipso mediante, ut fixissimo corpore, ad aliqualem fixitatem perductus, in tantum medicinam præbeat præ cæteris temperatiorem, & in agendo moderatiorem; an vero etiam usum eximium & in medicina præ cæteris bene præparatis mercurialibus magnificiendum, & summa laude evehendum præstet, maxime dubitamus, præcipue quia aurum, cujus simpliciter talis virtutes & qualitates specificæ, cordiales, roborantes &c. olim satis deprædicari solitæ, mox mox penitus fermè evanuerunt, non nisi substantialiter huic præcipitato inexistit: Longè magis autem aversandum reputamus *mercurium præcipitatum lunarem*, non tam ob accretionem veneream argento subinde magis vel minus communem, quàm ideo, quod multo minus, quàm solaris, fixatus, vi drastica non destituatur. Præ omnibus hisce verò nobis arridet illa *mercurii vivi* per se in pulverem fixiorem mutatio, in cujus præparatione sola ignis moderati diuturna tortura excedens illud fluidum mercuriale attemperatur, subigitur, & successive invertitur, ut demum sub forma pulveris sicci rubentis compareat, & sese fixiorem, eo impulsu, quo antea, certe non dimovendum sistat, adeoque hinc præ aliis, si recte præparetur, mitiori energia, potenti tamen visceri humoris resolutoria, diaphoreticam magis, quàm salivatoriam vel purgatoriam, inducat & exserat efficaciam.



§. XIII.

Cum itaque hætenus *mercurii* tam *vivi*, quam etiam præparatorum ex parte *usum* & *abusum* perscrutati simus, pauca quædam adhuc, ne propositi nostri limites transgrediamur, circa *abusum* obversantia proferemus: ad cujus evitacionem jam in præcedentibus præter alia indicavimus, quod sanguinem stricte ita dictum mercurialia non  
resol-



resolvant, adeoque in sanguinis spissescencia, grumescencia, stagnatione, stasibus, & hinc enatis activioribus inflammatoriis morbis, ut & omnibus, in quibus intentio naturæ ad resolutoriam sanguinis staseos discussionem collimat, minus locum habeant, sed plane nocua potius existant, ita & in scorbuto, cujus causa continens est sanguinis grumescencia, a lymphæ seroso-salsa exorta, æque nocent, eo quod 1) mercurialia sanguinis grumos non attenuent & dissolvant, eorumve coagulum penetrent 2) quod in agendo penetrantiora existant in lympham acido quasi fermento coagulata, ut in lue venerea, 3) salia scorbutica ratione principii salis mercurificantis hoc modo adhuc magis exacerbent, quibus accedit 4) quod humiditatem limpidam, ad resolutionem sanguinis grumosi facilitandam, primario & instrumentaliter necessariam deficiant insuper & fundant; unde patet, scorbuticam intemperiem mercurialibus potius intendi & augeri: quod & ipsum satis superque commonstrat experientia quotidiana, siquidem imprimis scorbutus in pluribus propter convenientiam, similitudinem, ut & proportionem symptomatum cum lue venerea analogus, ratione idenditatis causæ continentis verò penitus anomalus, diversus & contrarius, male cum mercurialibus tractatus, in lipothymicos, paralyticos &c. ni penitus funesta subsecuta sit catastrophe, defuisse eventus observatum est: Quales *abusus*, qualiaque experimenta vero, præter reliqua communiter non nisi ex ignorantia, audaciæ & jactantiæ filia, ab indoctis & cæteris in republica Apollinari hospitibus, quicumque etiam sint, vel Theologiæ cultoribus ultra suam sphaeram & tramitem contra Dei ordinem excurrentibus & aberrantibus, vel in specie ita dictis circumforaneis, agyrtis &c. hujus





jus generis, vel pharmacopoeis, vel aliis in alma arte medica & studio tam nobili, a Deo originem ducente, & hinc non temerarie, neque pro cujuslibet voluptuoso pruritu, & quoad hæc excrando instinctu tentanda, tractanda, & exercenda, imprimis vero a communibus quibusdam chirurgis artis medicæ non peritis & sanitatis humanæ perpetuis & petulantibus infidiatoribus inter reliquam temeritatem assuetam, nec coram Deo, nec coram hominibus vel Magistratu, utpote Cui Salus publica suprema Lex esse debet, excusandam & tolerandam, committuntur.

§. XIV.

Restant quidem adhuc multa, ast, quia instituti nostri ratio ab ulterioribus (in futurum tamen, si B. L. nostra in re tam ardua conamina, & de hacce materia substrata proposita vel æqui bonique consulat, vel si ipsi quædam dubia & minus ad curata videantur, nobis candide & amice illa ipsa communicare non dedignetur, forsân, Deo nobis vitam largiente, adhuc dicendis, imo & hisce jam breviter dictis magis magisque illustrandis & dilucidandis) nos revocat, abrupimus, atque ita in devotissima & humilima gratiarum actione Deo T. O. M. non solum pro annis academicis, principiis artis medicæ fundamentalibus, & cæteris, praxi clinicæ addiscendæ destinatis, felicem, faustumque exitum nunc demum assequentibus, sed & pro præsentis nostra Inaugurali Dissertatione conscribenda vires necessarias largienti, exsolvenda hisce imponimus

F I N E M.

C

GRA-



## GRATVLATIONES VOTIVÆ.

Cæteri versu decorent sonoro,  
Quas meres laudes Medicas per artes,  
Atque DOCTORIS titulos celebrent  
Syrmate longo.

Gratulor claros potius decores,  
Quos Tibi nostrum meritos Lyceum  
Jam dedit. Vergant, voveo, in salutem  
Corporis ægri!

J. Borellus, Med. D. & P. P.

---

Affligant quamvis, erucientque dolore furente  
Innumeri & varii mortalia pectora morbi,  
Hos tamen adversus validis accingeris armis,  
Qualia in Aonio data sunt Tibi cudere monte.  
Vade ergo auspiciis faustis, *Doctissime Rauchi*,  
Pœoniæque juvet didicisse fideliter artes  
Militiæ, ut valeas victor prostræcere quævis  
Humanæ vitæ minitanti fulmina mortis.  
Læta Tibi ex summo veniat victoria Olympo,  
In cuius manibus cunctorum est morsque, salusque.

J. Casp. Santoroc, P. P.

